Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



scribuntur. et pactis diebus conuiuii iob septem sacrificia
offerre prohibetur. aperte historia indicat. quod beatus iob
octauo die sacrificium offerens misterium resurrectionis
colat. Dies namque qui nunc dominicus dicitur a morte
redemptoris est tercius. sed in ordine conditionis octauus.
qui et primus in conditione est. Sed quia reuolutus sep-
timum sequitur. octauus recte numeratur. Qui ergo octauo
die offerre septem sacrificia dicitur. plenus septiformis gratie
spiritum. prospe resurrectionis domino deseruisse prohibetur. Vnde
et psalmus pro octaua prescribitur. in quo gaudium de resur-
rectione nuntiatur. Sed quia beati iob filii tanta fuerant
disciplina bone institutionis accinti. ut neque per facta
in conuiuiis. neque per uerba delinquerent. aperte monstratur cum
subditur. Dicebat enim. Ne forte peccauerint filii mei. et
benedixerint deo in cordibus suis. Perfectos quippe esse in opere
et sermone docuerat. quibus de sola patre cogitatione
metuebat. Quia vero de alienis cordibus iudicare temere
non debemus. in sancti huius uiri uerbis agnoscimus. qui non ait. quia
benedixerunt in cordibus suis. sed ne forte benedixerint
deo in cordibus suis. Vnde bene per paulum dicitur. Nolite ante
iudicare tempus quo adusque ueniat dominus. qui inlu
minabit abscondita tenebrarum. et manifestabit con